

dere & in ὁμοίσιον mutare non permiserint *Athan. in lib. de decret. synod. Nicenæ*; ceu & Homousiani ab Arianis propterea appellati sunt.

XLI X. Ad antiquos Germanos nostros Nicenum Symbolum quoque pertinere, ex Concilio Sardicensi liquet: siquidem inter 376. Patres, qui illi Concilio interfuerunt, etiam Germaniæ Episcopi numerantur. In titulo enim *Epistolæ Synodalis ad Alexandrinos*, mentio fit eorum quoque, qui ex *Bannoniis, Daciis, Norico &c.* adfuerant, apud *Athanas. Apol. 2. pag. 400.* Et in altera Epistola inter subscriptiones Episcoporum Galliæ, *Maximi* etiam nomen reperitur, quem *Trevirensium Episcopum* fuisse, mox audiemus *pag. 406. & in Tomis conciliorum pag. 437. 444.*

L. Jam verò in Synodo Sardicensi Symbolo & Fides Nicena repetita & per omnia confirmata. Etsi enim *Theodoretus l. 2. cap. 8. & Sozomenus l. 3. cap. 11.* aliam fidei formulam editam esse scribant: *Athanasius* tamen cum reliquis *Alexandriæ congregatis in Epist. ad Antiochenses. p. 85. & T. 1. Conc. p. 488.* planè id negat asserens, *decreto sancitum Sardis esse, ne quid ulterius de fide scriberetur, & sese contentos esse Nicenæ fide, ut cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur: neq; edendam esse aliam professionem Fidei, ne illa quæ Niceæ scripta est, suos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido est, semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum atq; iterum de Fide desiniant.*

LI. Nihilominus postea propter Pneumatomachos, in *Concilio Constantinopolitano* quædam de Spiritu Sancto addita fuerunt. Quæ omnia veteres Germani non tantum approbarunt, sed & postea suo studio effecerunt, ut propter controversiam cum Græcis de processione Sp. S. & Athanasiano Symbolo adderetur *filiog;*, etiam contra Pontificis Romani voluntatem; quod ne quidem *Severinus Rinius in notis ad Concil. Constantino* negare potest. *T. 1. p. 544. dum ex Magist.*